

1. Calvör s. Henning: / Diff. Sacerdos  
Clipeus Regis, Göttinge 1713.
2. Klausring s. Henr. / Diff. Van Deus  
Lux sit proprie dicta; Wittenberga
3. Olearij s. Joh. / Diff. de Stylo  
novi Testamenti, Lipsie 1699.
4. Opitij s. Henr. / Diff. ΟΡΑΘΑΕ  
οι ιεριστων s. philologicarum,  
jene 1672.

5. Pappi / Joh / Diss. de dono  
miraculorum contra Mirabilia  
vros, Argentorati 1579.
6. ———— / Diss. Hominem iustificari  
fide, Argentorati 1577.
7. Pistorij / Joh / Theorema de fidei  
Christianae definita mensura.  
Coloniae 1590.
8. Pouchenij / Levinus / Diss. de  
resurrectione Christi, Regiomonti.
9. Quenstedt / Joh. Rudolph / Diss.  
de Paulina Petri inreparatione  
Wittenbergae 1687.
10. ———— / Diss. de sacra Eucha-  
ristiae ritibus quibusdam antiquis.  
Wittenbergae 1683.
11. Ruff / Joh. Reinhold / Diss. de  
Abrami evocatione ex Ur.  
Jena 1718.
12. Scharf / Joh / Diss. de Mystico  
Christi mediatoris adventu in  
fideles, Wittenbergae 1681.

13. Scharf J. Joh. diff. de Universalibus  
Dei gratia, Wittenb. 1681.
14. Scherzer J. Joh. Ad. diff. de fide  
implicita, Lipsia 1677.
15. Scholl J. Joh. diff. de fide  
iustificante, Marburgi 1603.
16. Theses theologice  
de passione, Crucifixione, morte  
et sepulture filij Dei, Marp.
17. Strube J. Henr. Jul. diff. de  
sanctis Angelis, Helmst. 1618.
18. Schmid J. Joh. Ad. diff. de  
Catechizatione, Helmst. 1699.
19. Tossani J. Dan. / Coena Dominice  
descriptio, Heidebb. 1589.
20. diff. militie Christiane,  
ad contra satanagum  
Heidebb. 1590.
21. diff. de veteri et  
novo homine, Heidebb. 1590.
22. Treuner J. Joh. phil. diff. de  
theologia Luciani, Jena  
1697.

23. Walch s. Joh. Georgij / diff.  
de Samostatencanis Neotericis
24. Weikemajer / Elid. / diff. de  
paulino Mathematico.  
Wittenberge 1687.
25. Xerofani / Joh. Leon / diff.  
de confessione fidei Christianae  
Muzuntid, 1590.
26. Zimmermann s. Joh. Libory  
programma Jesum Christum  
ob peccata quidem nostra mort.  
traditum, ob iustitiam vero  
nostram resuscitatum, Halle  
1739.
27. programma Academiae  
fridericianae in festum  
nativitatis Christi 1719
28. programma Academiae Jenensis  
in diem natalem salvatoris,  
1720.
29. 

---

in festum paschalis,  
1721.

1 30. programma Academiae Jenaensis  
in Nativitatem Christi, 1722

31

1723.

32.

in festum paschatis, 1729

33.

in festum Nativitatis Christi  
1729.

34.

in festum paschatis, 1730

35.

in festum Nativitatis Christi  
1730.

36

in festum pasche Lem  
1731.

37.

in festum Nativitatis Chr.  
1735.

ΛΟΓΙΣΜΟΣ ΠΑΥΛΙΝΟΣ,  
**HOMINEM IV=**  
stificari Fide, absque operibus Le=  
gis: diligenter expensus, & anniuersariae dispu=  
tationis causa propositus in Academia  
Reipub. Argentoratensis.

Respondebit de his Thesibus, CHRISTO Seruatore vo=  
lente iuuante, 15. 18. & 20. Aprilis, Praeside IOHAN=  
NE PAPPO Doctore Theologo, M. CON=  
RADVS HEIL Hanouiensis.



ARGENTORATI  
Typis Nicolai Vvyrioti, Anno  
M. D. LXXVII.

REVERENDO ET CLARISSIMO THEOLOGO, DOCTORI

LVDOVICO RABVS, *Ecclesiae Ulmenfis*

*Pastori, ac Superintendenti, Sal. in Christo.*



Itto tibi reuerende pater, pro concione tua funebri *ἀντίδωρον*: quod ita, ut sentio, verbis extenuarem: nisi res ipsa loqueretur, causam quidē ipsam, quam tractandam suscepi, consideratione dignissimam esse: à me autē præter ea, quæ à præceptoribus *θεοδωρὸς ἀκντοῖς* accepi, nihil quod meū propriè sit, afferri. nisi meum fortasse est, quod Francisci Turriani Iesuite nouam Grammaticam *τοῦ ἐκ τῶν ἁγίων ἁγίων*, eiusdemquæ nouam distinctionem inter opera Legis, & Quasi opera Legis, breuiter discussi. Sed neque hoc magnum puto: propterea quòd vnicuique in doctrina Ecclesie Catholice mediocriter instituto, captiones huiusmodi non multum negotij faceffunt. Audi tamen mirificam argumentationem, qua confirmatur, non ita intelligendam esse Pauli de Iustificatione doctrinam, ut nos eam intelligimus: quia videlicet facile intellectu est, omne genus operum à Iustificatione excludi: cum B. Petrus quædam in Epistolis Pauli difficilia esse dicat ad intelligendum. Quòd si non melioribus argumentis vtitur in Dogmatico suo caractere de Iustificatione, quem tamē adhuc mihi videre non licuit: nam ista ex Apologia epistolarum Decretalium Pontificum subnotaui: neq̄ haud magnum momentū ad defendendam doctrinam Pontificiam attulit. Sed alios defensores ista doctrina neque meretur, neque habere omninò potest. Benè vale reuerende pater: & hanc meam *προσφώνησιν* in meliorem partem accipe. Argentorato, xj, Aprilis, Anno Seruatoris 1577.

*Tuus in Domino filius,*

*Iohan. Pappus D.*



## De Iustificatione.

I.

**A**Rbitramur fide iustificari hominem, absq; operibus Legis, Rom. 3. d. 28. & scimus, quòd non iustificetur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Ihesu Christi. Gal. 2. c. 16.

II.

CUM HOMINEM dicit Apostolus: omnes homines HOMO intelligit: siue Iudæos, siue Græcos, Rom. 1. b. 16. siue ante natum Christum, siue post: Act. 15. c. 11. siue adultos, siue infantes. Eph. 2. a. 3. Marc. 10. b. 14.

III.

Omnes autem homines sub peccato sunt: siue peccauerunt & egent gloria Dei. Rom. 3. b. 9, & c. 23.

IIII.

Etiam ij, qui non peccauerunt ad similitudinem transgressionis Adam. Rom. 5. c. 14.

V.

Et quorum iustitia & uirtus admirabilis est mundo. Rom. 14. d. 23. Heb. 11. b. 6.

VI.

Nec obstat, quòd Deus iustitiam illam & uirtutem externam, temporalibus præmijs afficit.

VII.

Gloria enim Dei, hoc est quæ coram Deo locum habet, est ipsa iustitia & sanctitas ueritatis. Eph. 4. c. 24.

VIII.

A ij

Peccatum autem, sub quo sumus, non tantum est  
cogitatum, dictum, aut factum contra Legem Dei.

IX.

Sed ipsa naturæ secundum imaginem Dei crea-  
tæ corruptio, iuxta concupiscentias erroris. Eph. 4.  
c. 22.

X.

Peccatum hoc per vnum hominem in mundum  
introijt, h. e. propagatum est ad omnes eius poste-  
ros. Rom. 5. c. 12.

XI.

Itaq; obscurauit & excæcauit mentes nostras: vt  
ne agnoscamus quidem corruptionem nostram.  
Rom. 7. b. 7.

XII.

Tantum abest, vt reuera displiceamus nobis ip-  
sis propter eandem corruptionem: aut iræ Dei ma-  
gnitudinem perpendamus.

XIII.

Aut vt de remedio huic malo adhibendo, serio co-  
gitemus. Matth. 9. b. 12.

XIIII.

Aut diuinitus reuelatum remedium nobis pla-  
ceat. I. Corinth. 2. d. 14.

XV.

Aut ad id obtinendum, nosmetipsos disponamus,  
aut præparemus. Philipp. 2. b. 13. 2. Cor. 3. b. 5.

XVI.

Atq; hoc intelligi voluerunt, qui asseuerarunt,  
homi

hominem in conuersione sui, habere sese merè passiuè: hoc est, materiam tantum esse Iustificationis: non etiam *συναίτιον*. Rom. 4. a. 5. Eph. 2. b. 8, 9.

XVII.

Aliàs enim non merè passiuè nos habemus: semel quidem securè contemnentes uocem legis accusantis peccata: & de propria iustitia præsumentes.

XVIII.

Rursus autem de peccato conuicti: concepto odio aduersus iustitiam Dei, desperantes.

XIX.

Vt rectè dictum sit, quanto se quis magis præparat ad obtinendam iustificationis gratiam: tanto eum à semita iustitiæ magis aberrare. Rom. 10. a. 3.

XX.

Estq; huius peccati tanta atrocitas: ut iustissimo Dei iudicio, iustissima eius poena sit æterna mors & damnatio. Rom. 6. d. 23.

XXI.

Ex quo rursus sequitur, nihil nos posse ad restitutionem nostri: æternæ uidelicet poenæ debitores.

XXII.

Haftenus igitur Hominem Lex considerat: sed eundem iustificari Euangelium docet.

IUSTIFICATIONIS  
CATVR

XXIII.

Etsi enim Lex quoq; Iustitiam promittit, Qui enim fecerit eam homo, uiuet in ea. Rom. 10. a. 5.

XXIII.

Tamen quia infirmatur per carnem, ideo non

A in

XXXIX

præstat quod promittit. Rom. 8. a. 3.

XXV.

Quo uno maximè discrimine: quanquam sunt  
& aliæ differentia: Euangelium à Lege distat.

XXVI.

Fides enim quæ à iustificando requiritur, non  
conditio meriti est, sed instrumentum accipiendi.

XXVII.

Iustitiam ergo, quam Euangelium promittit, o-  
portet alienam esse: hoc est, extra nos.

XXVIII.

Extra nos autem primùm est iustitia essentialis  
Dei, quæ est ipse Deus.

XXIX.

Ea, cum sit incommunicabilis, non debet æstima-  
ri nobis promissa.

XXX.

Deinde est iustitia Dei actiua, h. e. eius iudicium,  
quod deprecantur omnes etiam Sancti. Ps. 143. a. 2.

XXXI.

Est & Angelorum confirmatorum iustitia: sed  
neq; ea nobis communicatur.

XXXII.

Supereft Christi iustitia: qui duplici iure regnum  
obtinet cœlorum: vno natiuitatis, altero meriti.

XXXIII.

Quorum illud sibi retinens, hoc nobis donat.

XXXIII.

Iustitia ergo nostra, Christi iustitia est, obedientia  
illius & passione parta.

XXXV.

XXXV.

Vt iustificare in hoc Paulino λογισμῶ, significet  
iustitiam Christi imputare.

XXXVI.

Tali enim, & non alia iustitia opus habemus, vt  
reconciliemur Deo.

XXXVII.

Atque ita Iustificationis vocabulum interpretan-  
tur, Moses, Gen. 15. b. 6. David psalm. 32. a. 1. Paulus  
Rom. 4. a. 6.

XXXVIII.

Nec̄ propterea vera iustitia nostra non est, quia  
imputatiua est: imputatio enim Dei non fallit.

XXXIX.

Interim non ignoramus, Iustificandi verbum e-  
tiam de demonstratione & declaratione iustitiæ v-  
surpari.

XL.

Quæ significatio ad effectum iustitiæ imputati-  
uæ pertinet, de quo infra, h. e. ad renouationem.

XLI.

Eo q̄ solo sensu Iacobus excusari potest: asseue-  
rans ex operibus hominem iustificari, & non ex fide  
tantum. Iacob. 2. d. 22.

XLII.

Quamuis excusari vix potest: quod scripturam,  
Credidit Abraham Deo &c. in oblatione Isaac de-  
mum impletam esse dicit. Iac. 2 d. 23.

XLIII.

A iij

Vt non immerito de eius epistolæ authoritate, & olim, & nostro quoque sæculo dubitatum sit.

XLIII.

Accipitur præterea Iustificari etiam, pro maiores progressus in iustitia, seu uitæ nouitate facere.

XLV.

Sed & hæc significatio, non ad reconciliationem cum Deo: sed ad sequentem renouationem referenda est.

XLVI.

Erimus & in vita æterna iusti: non iam imputatione: sed ipsa Dei in nobis inhabitatione, & renouatione perfecta.

XLVII.

In hac enim vita, quia quotidie peccamus, quotidie noua remissione, & noua imputatione opus est.

XLVIII.

In altera autem vita, ubi peccatum non erit amplius: neque noua subinde peccati remissio erit.

XLIX.

FIDE Nihil autem quod imputatur, aliter quam fide potest accipi.

L.

Quod enim imputatur, id ex promissione gratis imputatur.

LI.

Promissionem autem non nisi fide accipi posse, factis manifestum est.

LII.

Ex

Ex quo rursus apparet, Fidem in hac tractatione non considerari, tanquam opus, aut habitum inhærentem.

LIII.

Nam neque nostrum opus Fides est, ut de eo possimus gloriari: sed Dei donum.

LIIII.

Accipitur autē Fides aliās pro dictorū, factorū, que constantia: quæ rursus nouitatis nostræ pars est.

LV.

Rursus pro notitia historiæ Christi, & articulo- rum fidei.

LVI.

Qualem Dæmonijs ascribit Iacobus cap. 2. d. 19. & constat esse in impijs: & stare posse cum peccato mor- tali.

LVII.

In Paulina autem disputatione, Fides præter ar- ticulorum fidei notitiam, significat *ὑπόστασις* Heb. 11. a. 1. hoc est *πεποιθήσις* siue fiduciam, applicantem sibi ipsi quod fides historica generaliter credit, & *ἔλεγχον*, siue demonstrationem rerum non apparentium.

LVIII.

Vt fides sit fiducia remissionis peccatorum & gra- tiæ Dei, per & propter solum Christi meritum, singu- lis credentibus imputandæ.

LIX.

Cum autem Apostolus dicit, Fide iustificari homi-

B

nem, intelligendum est SOLA fide iustificari homi-  
nem.

LX.

Atq̄ hac exclusiua particula, veteres etiam vsi  
sunt, in Iustificationis doctrina explicanda.

*Videatur ea de re diligentissimi Theologi, Lic. Hermani Hamelmanni  
libellus.*

LXI.

Quæ nihil aliud significat, quàm Gratis siue gra-  
tuito iustificari hominem.

LXII.

Non autem excluditur per vocem SOLA, immensa  
æterni Patris clementia: quæ efficiens causa est Iusti-  
ficationis nostræ.

LXIII.

Non Christi obedientia & passio, siue eius meri-  
tum.

LXIII.

Non Spiritus Sancti illuminatio & efficacia, testi-  
monium perhibentis Spiritui nostro quòd simus fi-  
lij Dei. Rom. 8. c. 16.

LXV.

Non ministerium verbi: quo instrumento offer-  
tur nobis gratia Dei, & iustitia Christi.

LXVI.

Non Sacramenta: quæ *σφραγίδες* sunt & signacu-  
la iustitiæ fidei. Rom. 4. b. II.

LXVII.

Ergo non tantum sola fide: sed etiam sola Dei mi-  
sericor-



sericordia, siue gr̄atia: & solo solius Christi merito:  
sola Spiritus Sancti efficacia: per solum verbi mini-  
sterium: per sola Sacramenta.

LXVIII.

Hæc enim in diuersis causarum generibus, singu-  
la sola sunt: & excludunt ea, quæ sequuntur, opera.

LXIX.

Fides autem propterea SOLA iustificare dicitur,  
quæ sola apprehendit promissionem de Christo.

LXX.

Iustificat igitur non propter sese; sed propter  
Christum, cuius merito nititur.

LXXI.

Quapropter & addit Apostolus *διωρεάν, & τῆ χάριτι*  
vt omnis omnino gloriatio excludatur, Rom. 3. d. 27.

LXXII.

Vbi Gratia non habitum aliquem in nobis signi-  
ficat: sed merum & gratuitum Dei fauorem erga nos,  
propter Filij satisfactionem.

LXXIII.

Et hanc ob causam non sufficit generaliter crede-  
re, Deum remittere peccata: sed vnumquemque  
iustificandum oportet credere, sibi esse remissâ pec-  
cata.

LXXIII.

In eamq; sententiam recte ab Apostolo citatur,  
illud Habacuc 2. a. 4. Iustus fide sua viuet.

LXXV.

Quemadmodum neq; illud de Abrahamo, Gen.

B ij

15. b. 6. impertinenter citatum est: etsi ibi Abraham credidisse videatur promissioni tantum corporali.

LXXVI.

Necque enim promissioni corporali recte credere potest: nisi qui prius credidit promissioni de remissione peccatorum.

LXXVII.

ABSQVE  
OPFRI-  
BVS LE-  
GIS.

Quod autem sic intelligendum sit, Fide iustificari hominem: ipse Apostolus docet: cum non contentus affirmatio pronuntiata: negando subiicit, ABSQVE OPERIBVS LEGIS.

LXXVIII.

Etsi autem controuersia initio mota fuit à Pseudoapostolis, de lege Ceremoniali, & de Circūcisione.

LXXIX.

Quia tamen omnis homo qui circumciditur, totius Legis seruandæ debitor est, Gal. 5. a. 3.

LXXX.

Ideo recte affirmatur, de totius Legis operibus h. e. de omnibus omnino operibus, Paulum sentire.

LXXXI.

Id quod ex ipsa primum argumentorum natura, quibus λογισμὸν suum confirmat Paulus, manifestum fit.

LXXXII.

Deinde consideratis etiam singulis Legis Mosæicæ partibus euincitur.

LXXXIII.

Ac de Ceremoniali quidem & Ciuili nulla potest esse

esse controuersia: quin earum opera non iustificent.

LXXXIII.

Ac ne iustificauerint quidem populum veteris Testamenti.

LXXXV.

Ex Moralis autem Legis operibus si quis iustificationem expectat: is ignorat, eos, qui ex operibus Legis sunt, sub maledicto esse. Gal. 3. b. 10.

LXXXVI.

Imò ei frustra Christus mortuus est. Gal. 2. d. 21.

LXXXVII.

Iam si absque Legis operibus iustificamur: multò magis iustificabimur absq; operibus humanarum traditionum: quæ non Legis, sed nostra sunt opera.

LXXXVIII.

Vtrunque ergo rectè Lutherus, Fides nisi sit sine vllis, etiam minimis operibus, non iustificat, imò non est Fides:

LXXXIX.

Et, Impossible est Fidem esse sine assidujs, multis, & magnis operibus.

XC.

Fides enim iustificans non potest stare cum peccato mortali & damnabili.

XCI.

Et aliud tamèn est dicere, Fidem solam iustificare, & Fidem solam esse.

XCII.

Opera enim ratione causarum & effectuum,

B iij

semper & indubitato sequuntur Fidem: re ipsa au-  
tem cum Fide semper coniuncta sunt.

XCVI.

Non tamen in Iustificatione, quid cum Fide con-  
iunctum sit, aut quid ab ea efficiatur, spectatur: sed  
sola Fidei forma, quæ est Christi meritum.

XCVII.

Firmiter autem statuendum est, cætera opera, que  
Iustificationem sequuntur, Fidei effectus esse.

XCVIII.

Non contra, Fidem à Charitate formari, vt olim  
Scholastici Theologi: aut vt nunc Turrianus, effici,  
siue actuari. lib. 3. cap. 15. Apologiæ epl. Decretali-  
um.

XCVIII.

Ἐνεργουμένη enim apud Paulum Gal. 5. a. b. actiue acci-  
piendum est: vt et sequentibus locis, Rom. 7. a. 5.  
τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, τὰ διὰ νόμου, ἐνεργᾶτο ἐν τοῖς μέλεσιν  
ἡμῶν. 2. Cor. 1. a. b. σωτηρίας τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν ἁ-  
τῶν παθημάτων. Eph. 3 d. 20. κατὰ τὴν δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην  
ἐν ἡμῖν. Col. 1. d. 29. κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτῆς τὴν ἐνεργουμένην ἐν  
ἐμοὶ ἐν δυνάμει. 1. Thess. 2. b. 13. λόγον θεοῦ ὅς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑ-  
μῖν τοῖς πισεύουσι. 2. Thess. 2. b. 7. τὸ μυστήριον ἡσθὲν ἐνεργεῖται τῆς  
ἀνομίας. Iac. 5. d. 16. λέγουσιν ἐνεργουμένην.

XCVIII.

Quibus omnibus locis si quis actiue neget accipi  
τὸ ἐνεργεῖται: is aut parum se in studio linguæ Græcæ  
profecisse: aut non syncerè agere probat.

XCVIII.

Rursus qui his operibus, quæ ex fide fiunt, Iustifi-  
catio.

cationis vel partem, vel vim omnem tribuunt: si  
vtrunque negent, beneficium profectio Christi, &  
mortis eius meritum extenuant.

XCIX.

Quantum enim operibus, etiam Iustificatorum  
tribuunt: tantum de Christi merito diminuunt.

C.

Etsi autem idem Turrianus inter Opera Legis &  
Quasi opera distinguit: lib. 4. cap. 8. vt Quasi opera  
Legis sint facta non ex fide, sed ex timore poenae: O-  
pera autem Legis simpliciter, quae secundum spiri-  
tum ex fide fiunt: ex quibus qui iustificatur, gratis  
iustificetur.

CI.

Tamen primum hanc distinctionem probare  
non potest: cum Apostolus non dicat, Absque quasi  
operibus, sed simpliciter, absque operibus Legis.

CII.

Deinde si verum est, vt verum est, alia opera ex fi-  
de, alia non ex fide fieri: iam ipse interpretat onem  
suam *περι πίστεως ενεργουμένων* euertit.

CIII.

Et nisi aperte cum Apostolo pugnat: dicat quid  
& quantum ei Fidei tribuat, quae secundum Spiri-  
tum opera Legis efficit?

CIIII.

Ergone prohibemus bona opera? absit. aut nulla  
eis proposita praemia esse credimus? minimè.

B iij

CV.

Imò negamus eos, qui contraria nobis docent, bonorum operum faciendorum rationem tenere.

CVI.

Et quamuis vitam æternam negamus mercedem esse bonorum operum: non tamen alia præmia negamus.

CVII.

ΛΟΓΙΖΟ  
ΜΕΘΑ.

Quæ cum ita sint: rectè λογίζεσθαι, h. e. vt Theophylactus interpretatur, συλλογίζεσθαι Paulus.

CVIII.

Rectè etiam ex hoc λογισμῶν certitudo fidei de remissione peccatorum, singulis credentibus tenenda, contra dubitationem Pontificiam asseritur.

CIX.

Quæ certitudo fidei cum Spiritus Sancti testimonio in nobis confirmetur: Rom. 8. c. 15. Gal. 4. a. 5. & propterea peculiari reuelatione non opus habeat.

CX.

Synodus autem Tridentina hoc Spiritus Sancti testimonium in nobis, anathemate percusserit, Sessione 6. cap. 9. can. 13.

CXI.

Nos de gratia Dei & Seruatoris nostri Ihesu Christi confisi, anathema dicimus eidem Synodo Tridentinæ: quæ anathema dixit Spiritui Sancto.

FINIS.

Proposit. 46. leg. non iam imputatione tantum.

ad 8

7







99 A 6907

ULB Halle 3  
004 393 236




Sl


8

V077

Reise







B.I.G.

Farbkarte #13

NOTIΣMOΣ PAVLINVS,  
**HOMINEM IV=**  
stificari Fide, absque operibus Le=  
gis: diligenter expensus, & anniuersariae dispu=  
tationis causa propositus in Academia  
Reipub. Argentoratensis.

*Respondebit de his Thesis, CHRISTO Seruatore vo=  
lente iuuante, 15. 18. & 20. Aprilis, Praeside IOHAN=  
NE PAPPO Doctore Theologo, M. CON=  
RADVS HEIL Hanouiensis.*



ARGENTORATI  
Typis Nicolai Vvyrioti, Anno  
M. D. LXXVII.

